



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. [Diluitur argumentum Sextum.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

sarium, vt præxisteret quæ communicanda erat. Intelligenda autem sunt hæc omnia, quæ sonant prioritatem secundum modum nostrum intelligendi. nam, quod ad rem attinet, nulla est prioritas, sed Pater semper actu genuit, et gignit Filium.

CAPVT XII.

Diluitur argumentum Sextum.

» **S**EXTVM argumentum. Aut persona in Deo
» finita, aut infinita: si infinita, ergo vna tantum
» si finita, ergo infinitæ personæ deberent esse, et
» respondeant infinitati essentia.

» Præterea, multiplicatio suppositorum vel est necessaria
» ad cōseruationem speciei, vel vt vnum suppositum perficiatur
» ex altero. at Deus, cū sit æternus, non eget cōserua-
» tione; nec perfectione, cū sit perfectissimus.

» Denique, vel persona, vt persona, dicit perfectionem, et
» non. Si dicit perfectionem, ergo vna perfectio est in vna per-
» sona, quæ non est in alia; & cū illa nō sit accidens, sed
» substantialis perfectio in vna, & non in alia. Si verò persona
» persona, nō dicit perfectionem, ergo perfectior erit persona
» humana, quàm diuina; nam humanā certum est dicere per-
» fectionem. **R**ESPONDEO, personam diuinam vt talem, esse
» infinitam, & proinde dicere summam perfectionem. **A**d
» argumentum autem respondeo, non posse inde colligi, quod
» vna tantum est persona, sed hoc solum, ergo vna est
» perfectio omnium personarum; est enim vna & eadē infinita
» perfectio in omnibus personis, sed non eodem modo. in Patre
» enim illa perfectio est paternitas, in Filio filiatio, &c.

» **A**d **S**ECVNDVM dico, multiplicari supposita in Deo
» non ad cōseruationem speciei, nec ad perficiendum, sed
» ex alio, sed quia id postulat natura rei intelligentis, quæ
» habet modos producendi aliquid intra seipsam, videlicet
» cognitionem, & amorem. Quæ etiam est ratio cur fiat
» persona tantum, & non plures, nec pauciores, vna enim
» debet producens, non producta; alia producta per cog-
» nem; alia producta per amorem.

Ad TERTIVM dico, eandem perfectionem dicere omnes personas, sed alio modo.

Quæres fortassè, an ille modus, id est, an illa relatio dicat perfectionem. RESPONDEO, relationem in genere sumptam non dicere perfectionem, cum abstrahat ab ente reali, & rationis; tamen relationem realem, perfectionem dicere, & relationem diuinam, infinitam perfectionem, non tamen aliam perfectionem dicere hanc diuinam relationem, aliam illam, sed omnes eandem, quæ est diuina essentia.

CAPVT XIII.

SEPTIMVM argumentum. Intellectus diuinus & voluntas idem sunt, & similiter intellectio & volitio, ergo etiam verbum & amor, id est, Filius & Spiritus sanctus, ab vno enim non procedit nisi vnum.

Præterea intelligens in Deo, & intellectio idem sunt, & similiter amans & amor, ergo Pater & Filius non distinguuntur inter se, nec à Spiritu sancto.

Denique aut Filius intelligit, aut non. si intelligit, ergo producit notitiam seu verbum, si non intelligit, ergo verbum nõ est Deus, nec enim Deus esse potest, qui nihil intelligit. IDEM de Spiritu sancto dici potest. Nam si amat, producit amorem, ergo aut se, aut alium. si non amat, non est Deus. nec enim Deus actu voluntatis carere potest.

Respondeo ad PRIMAM rationem, minorem distinctionem requiri in principiis, quàm in terminis, vt planum est ex eo quod vnus Deus tot genera rerum creauit; animus noster tot conceptus parit; vnus truncus tot ramos producit. ex quo fit, vt satis sit distinctio rationis inter intellectum & voluntatem, ad hoc vt habeant terminos distinctos.

Ad SECUNDAM dico, inde solùm probari, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse vnũ in essentia. Nam in Deo, intelligens, seu potius dicens, & verbum, idem sunt, excepta relatione producentis & producti: & amans & amor idem sunt, excepta relatione producentis amorem, & amoris producti.